



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

Lævini Torrenti[i] Episc. Antverp. Oda Ad Societatem Sanctissimi Nominis
Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

LÆVINI TORRENTI

EPISC. ANTVERP.

O D A

A D S O C I E T A T E M

S A N C T I S S I M I N O M I N I S

I E S V .

O GRATA celo sancta Sodalitas,
 Rex regum IESVS nomine quam suo
 Illustrat exornatque, toto

Vt celebris memoreris orbe :

Non orbe dico , quem veteres aui

Norunt minorem dimidio, male

Truncatum , & angustis coactum

Limitibus , nec adhuc resectum;

Quod vstus illic solibus, hic niue,

Negaret aptas sospitibus domos,

Nec torridam fas esset vlli

(Sic perhibent) superare zonam;

Sed orbe toto prorsus & integro,

Quem belluoso dum volitant mari

Vtroque porrectum sub axe

Magnanimi reperere Iberi.

Quorum

Quorum secuti turgida lintea,
 Pura sed omni mente cupidine,
 Pulcro nec argento, nec auro,
 Nec nitidis inhiante gemmis,
 Armis ut illi sceptrum potentium
 Fregeret regum, fluminaq; & lacus,
 Portusq; vicinasq; gentes
 Indomito subiere ferro,
 Sic vos inermes, impavidi tamen,
 Casta inferentes indigenis sacra,
 Hac impios cultus & omnem
 Barbariem pepulistis arte.
 Qui namque vera luce carentibus
 Fas esse notum vel potuit nefas?
 Turpi volutabantur antro,
 Cimmeriis medijs tenebris;
 Clausis retentæ ceu caueis ferae,
 Edenda si quæ ad munera publica
 Servantur, ut damnata fulva
 Corpora dilacerent arena.
 Quo deprehensos tam misero in statu,
 Ut mente bruta non minus impia
 Committerent, quàm sævus olim
 Antiphates, genus aut Cycloppum,
 Sanastis: at non cantibus Orphei,
 Linique, nec qui mœnia condidit
 Thebana, facundiq; voce
 Mercurij, fidibusque Phœbi;

Fida

Fida sed alma vi Sapientia,
 Qua missa ab alto vicit ut haectenus,
 Sic vincet, aeternoque tandem
 Omnia subiiciet Parenti.
 Qui vos ministros quod sibi legerit,
 Res gesta clamat, clamat & exitus
 Spe maior, adductis opimo
 Tam citò tot populis triumpho.
 Quos, antè necdum nomine cognitos,
 Portare CHRISTI nunc dociles iugum
 Miramur, ingenti remixta
 Letitia simul & stupore.
 Sed quid volenti non facile est DEO,
 Deique verbo, Virgineo satum
 Quod ventre, prognatumque nostri
 Credimus ad generis salutem?
 Hic ille IESVS progenies Patri
 AEquaeva, calo quod fuerat manens;
 Humana sed de matre sumpsit
 Membra, viam reserans Olympo.
 Hic ille, cuius nomen amabile
 Vt vestra complet pectora, sic sacro
 Prorumpit exundans ab ore,
 Assidua coliturq; laude.
 Nec parua laudi gratia. nam piis
 Aspirat orsis omnipotens DEVS,
 Firmatque quas res cumque Nati
 Auspicio geritis secundo.

Nec

*Nec de receptis gloria Barbaris
 Est maior illa, quàm domiti dabunt
 Caluig³, Luterique, & omnis
 Colluues simul impiorum.
 Fremant superbi, nec teneant minas,
 Bellumq³, cadesq³, & rabiem parent;
 Causamq³, quam ius damnat æquum,
 Vi vetitis tueantur armis:
 Vos ista prudens simplicitas, benè
 Morata, sese nec leuis efferens,
 Defendet insontes. At ipse
 Se rabidus male perdet hostis.
 Qui quò cruentus sauiet magis,
 Plus inde damni comperiet, videns
 Vicisse quos victos putarat,
 Et cineri superesse vires.*

